

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata**

**Wissingh, Anton**

**Coloniae Agrippinae, 1699**

Pax ✕ Salus, Cor unum, & Anima una

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](#)

(o)  
PAX  SALUS,

Cor unum , & Anima una

*Patribus , & Fratribus Provincia Colonensis , di-  
lectissimis in Christi JESU visceribus.*

Vobis reddo rationem Operis , expono causam  
hujus mei suscepti laboris : quæ quamvis qua-  
druplex potissimum sit , Prima tamen induciva  
estis vos , qui estis , & posthac amplius eritis gau-  
dium meum , gloria mea , & corona mea in Do-  
mino . Communis salus vestra , unitas vestra ,  
profectus vester , securitas conscientiarum vestra-  
rum meum excitârunt animum , manum applicâ-  
runt ad calatum , dispulere fastidium , immo la-  
borem hunc quantulumcumque reddidere ju-  
cundum . Vobis enim quæro non placere , sed  
proficere , immo & proficiendo placere , sed in  
Domino , & propter vos ; quod est charitati ser-  
vire , ait D. August. Spero , quod hæc litera , immo  
potius candida & sincera intentio mea in vobis  
promovebit amorem Ordinis , unionis , & obser-  
vantiae ; Ordinis , in quo sint omnia communia ;  
Act. 4. Unionis , quæ odit privata , separata , di-  
sparata ; & observantiae , quæ exactè innititur S.  
Regulæ , & Constitutionibus . Hæc tria si videro  
in vobis , gaudens gaudebo , & finem laboris mei ,  
immó optatum quasi præmium reportavero .  
Nam de his meritò dico & sentio cum literatissi-  
mo Michaelo Ghislerio in c. 6. Cant. expos. 2. §. 1.

quid

quid ordinatus in hoc mundo confici potest, quam  
recte instituta Religiosorum conversatio? quid eo-  
rumdem unione jucundius? quid eorum observan-  
tius venustius? quid tranquillitate suavius? quid  
studiis, spiritualibusque exercitiis fructuosius? h.i.

Itaque obsecro vos Fratres, (cum Apostolo in  
var. II.) per nomen D. N. J. C., ut fitis perfecti in  
codem sensu, & in eadem sententia - solliciti serva-  
re unitatem Spiritus in vinculo pacis; ---- nam &  
pro invicem sollicita sunt membra--. Idem sapia-  
tis, eamdem charitatem habentes, unanimis, id-  
ipsum sentientes - non enim estis vestri--. Hinc, si-  
cuit ego in hoc Opere non sum quærens, quod  
mihi utile, sed quod multis; ita nec quisquam  
inter vos, quæ sua sunt, singuli considerantes, sed  
quæ aliorum. h.i. Hoc ut comitum bonum asse-  
quamur & ueamur, levemus capita nostra, Chri-  
sti-formes studeamus facere affectus nostros: &,  
sicut aqua quamvis ob naturalem gravitatem de-  
orsum feratur, quærens centrum suum, at, dum  
natura horiet vacuum, ob bonum commune a-  
scendit sursum; sic & nos, quamvis naturæ aliter  
habituantæ fortè violentum videatur, attamen  
pro communi bono, ne maneant corda vacua di-  
vina gratia, sursum feramur, quò Deus vocat,  
quò Christi Vicarius incitat, quò regularis pro-  
fessio exstimulat, propriæque salutis spes adurget.  
Paulò altius ascendamus, ut in gratia Dei cresca-  
mus.

Ex nunc ergo, ut loquar cum Basili. M. Constit.  
monast. c. 18. Sint nobis communia universa, ani-  
ma, sententia, corpora, & ea quibus corpora nutriun-  
tur, &

*E*ad bene pieque vivendū opitulantur. Communis Deus, communis pietatis negotiatio, communis sal<sup>r</sup>, communia certamina, jejunia, labores, orationes, corona. Multi unus, *E* unus non solus, sed in pluribus. h. i.

Secunda causa impulsiva fuit amor decoris & honoris, quō zelare meritò teneor pro Matre mea, quæ est Religio nostra. De quo cit. Michael Ghister, in cant 8. expos. 3. §. 1. *Religiosus bonus ardenter desiderat Religionis suæ profectum.* Hinc & mihi evenit, quod ibidem apertius afferit §. 8. super illa verba, *apprehendam te, E ducam te in domum Matris meæ.* *Religiosus*, inquit, *bonus, quamcumque in aliis Monasteriis viderit virtutem, vel observantiam, in qua Deus sibi manifestetur, apprehendit amoris desiderio, conaturque deferre in claustrū Religionis suæ, qua eum ut Mater ad vitam genuit spiritalem, & educavit corporaliter & spiritualiter.* h. i. Verè etenim ita est, quod cordis ardens desiderium in me senserim ab initio religiosæ vocationis meæ, ut, quam apud alios Religiosos inveni ex perfecta communitate gentianam charitatem, amicabilitatem, fraternitatem, socialitatem, regularitatem, exemplaritatem, animorum unionem, fraternalm ad invicem confidentiam, serviendi promptitudinem, angelicam obedientiam, paupertatis rigidam observantiam, à sæculo abstractionem, & aliarum virtutum religiosarum multiplicē sobolē, possem sancto furto transferre, & etiam aliquando videre inter Religionis Matris nostræ Filios, meos scil. onfratres, **Vos**, inquam, quos alloquor corde, voce, scripto;

quo-

quorum animas suo sanguine pretioso subsignavit Christus , in exque fidei concredidit ; quos ideoque , & simul me ipsum sub pallio SSma V. M. Dei Genitricis , Ordinis nostri Seraphici singularis Protectricis , substerno ejusdem *sacratis-* *fimo Cordi*, quod insignitum est Crucifixo; ut, quia concepit eum , qui renovavit faciem terrae , renovet & me, & vos & singula membra Religionis nostrae.

O Sancta ! ô optata ! ô diu desiderata , & tam diu , tam sollicitè quæsta S. Communitas ! Quis mihi det , ut introducam te in domum Matris mea ? ut tamen te saltem ex nunc , afflante S. Spiritu , Patrocinante B. V. M. nec non S. P. N. Francisco , S. Antonio Patavino , & oīnnibus Sanctis , possem hoc voto meo , hac prece , hoc opere introducere in domum Religionis nostrae , vel saltem hujus Coloniensis Provinciae ! Quod sicut juravi & statui Coram vobis in initio suscepiti hujus ministerii , sic nunc iterum juro , pro quanto divina gratia adjuverit. Et hæc est

*Tertia causa* hujus suscepiti Operis , ut scil. iuramento meo satisfacerem , nihil intentatum relinquendo , quod ad ejus adimpletionem conducent , aut necessarium reperero. Saltem faciam id , quod in vita S. P. N. Francisci c. II. §. 3. scribit S. Bonav. *exonera conscientiam tuam , & Deum magis time , quam homines . h. i.*

*Quarta causa* , quæ animum & manum confirmavit in hoc Opere literario lætiūs perficiendo , fuit Eminent. & Rdis. Protectoris nostri Cardinalis LEANDRI COLLOREDI paterna , fervens , cordialis , ac sollicita in- & excitatio; qui cum sit Dominus

minus Gubernator , Protector , & Corrector hujus nostræ Fraternitatis ; exhortatur , instat , obseruat nos à iam sancto proposito non desistere , quousque in omnibus formetur Christus . Cujus primæ gratiosæ Epistolæ tenorem vide infra pag . 430 .

Itaque Fratres mei dilectissimi & desideratissimi , hujus pientissimi nostri D . Protectoris votis correspondeamus : sanctamq ; matrem Ecclesiam , quam B . P . N . Francisci meritis fetu novæ prolis indies amplificat misericors Deus , per nostri ipsorum spontaneam renovationem , novo gaudio lætari faciamus ; immo gaudium hocejus & nostrum notum sit omnibus hominibus . Consideremus cum S . Chrysost . in Joan . quantò paucioribus indigemus , tantò magis Angelis appropinquamus , quantò pluribus , tantò magis ad hanc caducam vitam deflectimus : Ideoque S . paupertatem , ejusque filias & comites amplectamur , per quas Angelis Sanctis reddamur similiores . Itidem perpendamus cum Rusbrochio , vitium plane diabolicum esse , quòd res terrena communes non sint ; ideoque sacram Communitatem semper & in omnibus sectemur ; bono autem privato & lucro inhibare , detestabile vitium aestimemus . Quod rārum in terris est , nobis carum sit ; Est autem lumen in terris rārum Monachus , in quo non est reperta cupiditas , ajebat S . Ephrem . Caveamus , ne nos feriat lethalis comminatio prædicta per S . Hypolitum Mart . consummationis mundi , & extremitatis illius signum est , si Monachi expertant , quæ sunt mundi . Tandem emitamur unanimiter , ut annus proximus communis Jubilei , qui est

\*\*

hujus

Hujus sæculi completiv⁹ utpote septingentesimus  
post millesimum , inveniat quoque nos de nostri  
ipsorum renovatione jubilantes , ad altioraque  
perfectionis culmina aspirantes, demumque per-  
severantibus promissa æterna præmia longani-  
miter exspectantes.

*Quilibet vestrum ( loquar verbis Rdiff. P. N.  
Jacobi Bagnacaballensis in Epistola Pastorali, Co-  
loniæ typō data 1619. 6. Jan. de reformat. studio-  
rum ) accepta hac mea Pastorali epistola , & ad-  
monitione paterna , pravos & jam penè inveteratos  
usui præcedentes, noxias corruptelas exterminantes,  
deliberato quisque constitutus animo , certum per-  
fectoris observantia iter instituere, peculii proprie-  
tatem, (pondus certè nimis onerosum) deponendo, &  
sanctam vita communis institutionem , seclusa om-  
ni reluctatione , subeundo--- vita communis insti-  
tutum observantissimè excolendo ; quæ vita est cale-  
stis , vita Angelica , vita Apostolica , & quidquid  
Deo professione solenni devovimus , exactè & ad a-  
mussim observando--- Et sicut B. Franciscus Pater  
noster Seraphicus fuit voce cœlitus demissa instru-  
etus: Vade Francisce, repara domū meā , quæ labi-  
tur; illud nobis ipsum singulis putare debemus enun-  
tiatum . & cum Paulo Apostolo dictum: labora, si-  
cuit bonus miles Christi Jesu.--- Testem invoco  
Deum & Dominum nostrum Iesum Christum , quo  
animo , qua mente , quo consilio , in hac mea visita-  
tione omniconatu enitar ( dicam ego , hoc à me e-  
dito libro ) omnem de promam curam & diligen-  
tiam , m̄ res ad pristinum cultum revocandi , obser-  
vantia in ducendi , regularem disciplinam instau-  
randis*

randi, exteriora dedolandis, perpoliendique; & quos  
divino cultui atque observantiae addictiores nove-  
rim, ad regimina promovendi ; ut bono eorum,  
quod statuere debent, exemplo, pauxillæ & minu-  
tula nostra Religionis reliquæ, in seipsis conserven-  
tur & excrescant ad Dei gloriam, proximi ædi-  
ficationem, & propriarum animarum perpetuam  
salutem ; Quam ex corde & faveo & appreco  
vobis. Enitainini, ut eam assequamini. Valete  
in Domino, orantes pro vestro in Christo Mini-  
stro, cui nihil debet esse antiquius, quam, ut quo-  
quo modo valeo, bene & utiliter de mea Religione  
verear. h. i. in Decreto de reform. stud. ♫

